DE VITARUM VERGILIANARUM CODICIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE SECTIONIS I
IN UNIVERSITATE LUDOVICO-MAXIMILIANEA MONACENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT ET DIE XIII MENSIS
FEBRUARII A MCMXI CENSURAE TRADIDIT

IACOBUS BRUMMER

FRISINGENSIS

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI MCMXII

Hoc libro continetur pars maioris dissertationis, de qua rettulerunt Vollmer et Weyman Monacenses

PARENTIBUS

cum B. G. Teubner vitas Vergilianas edendas mihi iniunxissit, dissertatio mea ita immutanda erat, ut illius editionis praefatio et dissertatio iisdem typis depingi possent. quamobrem primum dissertationis meae caput, quod inscribitur 'Zur Überlieferungsgeschichte der sog. Donatvita des Vergil' et in editione vitarum Vergilianarum et in hoc opusculo neglexi idque Crusio adprobante in Philologo publici iuris facere animum institui: ad hunc tractatum et ad editionem vitarum Vergilianarum plenam lectores relego. huic libello addidi partem vitae Donatianae ut, qui legent eum, quomodo contextum et apparatum illius vitae constituerim, intellegant. in Donati vita Vergiliana emendenda duplicem apparatum criticum conformare temptavi, alterum brevem contextui subiectum, alterum plenum post vitam.

DE VITARUM VERGILIANARUM CODICIBUS.

Vitas Vergilianas, quae compluribus codicibus nobis traduntur, postquam universas primus edidit Reifferscheid in Suetonii reliquiis (Lips. 1860), deinde Nettleship Ancient lives of Vergil (London-Oxford 1879) et nuperrime E. Diehl in libro, qui inscribitur 'die vitae Vergilianae und ihre antiken Quellen' (Marcus und Weber, Bonn 1911) iterum emandandas curavimus, quod illi non plenum nec fidelem apparatum criticum constituerunt. huc accedit, quod nonnullos novos codices adhibere novasque et adhuc ignotas vitas addere possum. antequam autem de singulis vitarum Vergilianarum codicibus eorumque affinitate dicamus, in universum de ordine, quem in edendis vitis persequemur, haec praeferenda sunt. incipimus a vita, quam Donato tribuere solemus et quam ad illius grammatici auctoritatem redire et primam originem a Suetonio ipso ducere constat. cui iniungemus vitas, quae e Donati vita Vergiliana fluxerunt, vitam Iunii Philargyrii, Focae grammatici urbis Romae, vitam Noricensem, Monacensem vitasque codicis Gudiani fol. no. 70 saec. IX. denique, ut integrum sit opusculum, vitam Bernensem vitasque Valerii Probi et Servii commentariis sublatas praetermittere non licuit.

'vitae Vergilianae iactura duplici modo potest reparari: et antiquioris Suetonio vitae excerptis et vita Donati, quam a Suetoni auctoritate pendere in aperto sit. quibus supplementis commode additur vita Vergilii a Foca grammatico urbis Romae versibus edita' (Reiff. Suetonii reliquiae p. 398). Reifferscheid etiam omnes vitas Vergilianas, quae tunc erant notae

et e quibus vita Vergilii scripta a Suetonio et a Donato rescripta et aucta restitui potest, in illo libro edidit crebrasque interpolationes cursu saeculorum Donatianae Vergilii vitae illatas e contextu suo in apparatum transtulit adhibens in contextu constituendo vitam codicis Bernensis 172 saec. IX—X, quam primus edidit Petrus Daniel.[1]) *illum Bernensem codicem Reifferscheid per totam vitam pro fundamento esse voluit; sed hoc fundamentum non erat solidum, quia doctus ille vir codicis collatione a C. G. Muellero in programmate Rudolphopolitano a. 1847 facta usus erat, quam multis locis impurum verborum fontem praebuisse H. Hagen large exposuit (Fleckeis. Jahrb. Suppl. IV, 1861—67 p. 676). praeter illum Bernensem codicem Reifferscheid etiam Reginensem 1495 saec. XI—XII adscripsit, quem primus contulit G. Thilo (cf. Rhein. Mus. 14, 1859, p. 542). lectio, quam vulgatam Reifferscheid dicit, est editio Aldina 1558, quia codices, quibus interpolatae vitae specimen continebatur, illis temporibus nondum erant noti. editor Suetoni reliquiarum vitae finem posuit post narrationem de obtrectatoribus Vergilii. ac profecto, quae in codicibus sequuntur verba non ad vitam poetae spectant, sed explanatio sunt in bucolica, quam similem apud Servium*[2]) *aliosque legimus et quam olim a grammaticis cum vita coniunctam esse apparet. Donatus in dispositione, quam in vita componenda secutus est*[3])*, non habuit locum talis explanationis. quam recepi in editionem*

---

1) *P. Daniel illam vitam recepit in suam Vergilii editionem cum Servii commentariis instructam. Paris 1600. (cf. Heyne-Wagner Vergil IV, p. 721) H. Hagen: Der Jurist und Philolog Peter Daniel aus Orléans, Programm Bern 1873 p. 14sq. de P. Daniele v. etiam La grande encyclopédie XIII p. 854 s. v. Daniel.*

2) *Servius (III p. 1 Thilo) praefatio commentarii in buc. et georg. Philargyrius expl. in Verg. buc. prooem (Servius, Hagen III, 2 p. 10 sqq.). Probus (Servius Hagen III, 2 p. 324sqq.). Diomedes gramm. I, 486 sq. Isidorus origines I, 28, 16. scholia Theocritea ed. Ziegler p. 1. Theocritus ed. Ahrens p. 4.*

3) *Leo, Griech.-röm. Biographie p. 12. Donatum alio loco talem explanationem apposuisse verisimile est*

meam, quod in omnibus codicibus, qui post hunc tractatum plerumque habent 'vita explicit' vel alia similia, artissime cum vita cohaeret et ab editoribus semper cum vita est recensita. post Reifferscheidium vitam Vergilii Donatianam cum scholiis Bernensibus iterum edidit H. Hagen (l. s. a. p. 743sqq.), qui codicem Bernensem denuo descripsit et Sangallensem 862 saec. X et Parisinum lat. 11308 saec. IX, quem olim E. Woelfflin publicaverat in Philologo 24, 1866, p. 153sqq., in contextu constituendo adhibuit. lectiones Reginensis 1495 Hagen in apparatum suum non recepit eum e Bernensi derivatum esse ratus. editione, quam curavit H. Hagen, docti adhuc semper usi sunt, cum de vita Donatiana eiusque partibus disputabant velut Körtge in Suetonii de viris illustribus libros inquisitionum caput primum, diss. Hal. 1899, Norden Rhein. Mus. 61, 1906, 166sqq., Kroll Rhein. Mus. 64, 1906, 50sqq., Beck J. J. 133, 1886, 502sqq., Heraeus Rhein. Mus. 54, 1899, 157. novissime Donatianam Vergilii vitam aliasque vitas publici iuris fecit E. Diehl earumque fontes antiquos contulit.

nunc dicendum est de codicibus vitae eorumque affinitate. in hac parte brevis esse possum, quod alibi fusius de memoria vitae exposui.[1])

in Vergilii vita, quae dicitur Donatiana, emendanda usus sum codicibus his:

B = Bernensi 172 saec. IX—X fol. 2^R—3^R (Hagen catalogus codicum Bernensium p. 237). codicem, quem excusserunt P. Daniel, C. G. Mueller, H. Hagen, denuo inspexi et photographa contuli.

G = Sangallensi 862 saec. X p. 351—366 (Scherrer: Verzeichnis der Hss. der Stiftungsbibliothek von St.

---

1) *in dissertationis meae primo capite, quod inscribitur 'Zur Überlieferungsgeschichte der sog. Donatvita des Vergil' et quod in Philologo publici iuris faciam. ad hunc tractatum lectores relego ubi adscribo 'Zur Überlieferungsgeschichte'.*

Gallen p. 295) codicem, quem primus contulit H. Hagen, iterum excussi. photographa apud me sunt.

P = *Parisino lat. 11308 saec. IX Pithoeano fol.* 62^{R}—67^{R} *(Delisle inventaire des manuscrits latins, Paris 1863—1871, p. 119). codicem a Froehnero in C. L. Rothii usum collatum edidit E. Woelfflin in Philol. 24, 1866, p. 153 sq. illa collatione usus est etiam Hagen. sequor photographa. in codice ante vitam exstat Donati ad Munatium epistula haec:*

FL. DONATUS L̄ MVNATIO SALVTEM

inspectis fere omnibus ante me qui in Virgilii opere calluerunt, brevitati admodum studens quam te amare cognoveram, adeo de multis pauca decerpsi, ut magis iustam offensionem lectoris expectem, quod veterum sciens multa transierim, quam quod paginam compleverim supervacuis. agnosce igitur saepe in hoc munere conlauo (*intellege* collativo *vel* collaticio) sinceram vocem priscae auctoritatis. cum enim liceret usquequaque nostra interponere, maluimus optima fide, quorum respuerant (*intellege* respexerant) eorum etiam verba servare. quid igitur adsecuti sumus? hoc scilicet, ut his adpositis quae sunt congesta de multis, admixto etiam sensu nostro, plus hic nos pauca presentia quam alios alibi multa delectent. ad hoc etiam illis de quibus probata transtulimus, et attentionem omnium comparavimus in electis, et fastidium dempsimus cum relictis. tu igitur id quod nobis praescripseras utrum processerit specta. si enim haec grammatico, ut aiebas, rudi ac nuper exorto viam monstrant ac manum porrigunt, satis fecimus iussis; si minus, quod a nobis desideraveris, a te ipse deposces. vale.

A = *Parisino lat. 16236 saec. X fol.* 2^{R}—3^{R}. *codicis descriptionem videas apud Vollmerum Sitz-Ber. der bayer. Akademie 1908, Heft 11: 'P. Virgilii Maronis iuvenalis ludi libellus' p. 13 sq. (habeo photographa).*

E = *Parisino lat. 7930 saec. XI fol.* 204^R—206^R *codicem descripsit Vollmer l. s. a. p. 54 sq. (photographis utor).*

R = *Reginensi 1495 saec. X—XI (?) fol.* 85^R—87^R *Keil Zeitschrift für Altertumswissenschaft 1848 p. 549 et Thilo Rhein. Mus. 14, 1859, 542. H. Hagen l. s. a. 676, Reifferscheid Suet. rel. p. 54, Vollmer l. s. a. p. 14. photographa mihi procuravit E. A. Loew.*

M = *Monacensi lat. 305 saec. XI—XII fol.* 15^V—18^R. *codicis descriptionem habes apud Vollmerum l. s. a. p. 49. vita desinit in verbis p. 15, 267* ... Caesaris adiuverunt. *ipse excussi et photographa contuli.*[1])

Σ = *Bodleiano (mss. can. lat. 51) saec. XV fol.* 2^R—6^V. *catalogi codd. manuscriptorum bibl. Bodleianae pars III p 132. in hoc codice exstat interpolatae vitae specimen. photographa apud me sunt.*

vita Vergilii vulgari brevior, quam excerptam e Donatiana Vergilii vita esse apparet, continetur codice London. Brit. Mus. add. 32319 A saec. XIII fol. 150^R—150^V *et codice Bruxellensi lat. 10017 saec. XIII fol.* 157^{VI}—158^{VII}.

C = *cod. London Brit. Mus. 32319 A saec. XII. brevis codicis descriptio exstat in Catalogue of additions to the manuscripts in the british museum 1882—1887 p. 101, 32319 A. foliis* 150^R—150^V, *quorum photographa apud me sunt, continentur haec.*

fol. 150^R Virgilii vita secundum Donatum. Publius Virgilius Maro genere Mantuanus dignitate eques Romanus — *linea 6* vixit vero annos LII. *haec est vita Bernensis. hanc codicis partem apparatui meo adscripsi p. 66 sq. deinde sequitur vita Vergilii Donatiana, quae omissis verbis 1* P. Vergilius Maro

1) *Monacensem lat. 21562 saec. XII (olim Weihenstephanus 62) non addidi, quod ille etiam in vita apographon est codicis M. cf. 'Zur Überlieferungsgeschichte'. Vollmer Sitz.-Ber. 1908 p. 48 adnot. 1.*

Mantuanus — 7. Mantua non procul *incipit* praegnans eius mater somniavit . . .; *vita finit in linea 64* . . . explanatio in ordinem digeretur.

sequuntur futtilia in bucolicum carmen scholia.

fol. 150^V alia in bucolicum carmen scholia. linea 26. Ovidius Naso: Virgilius magno — praeposuisse tibi *(anthol. lat. 1).*

tetransticon Ovidii: qualis bucolicis quantus — carmina nostra *(anthol. lat. 2).*

versus Supplicii Cartaginensis: iusserat haec rapidis — cremata rogo *(vita Donatiana* 143—148*).*

c[arme]n Octoviani Caesaris: ergone supremis potuit vox — relegatur ametur *(anthol. lat. 672).*

nocte pluit — habes *(anthol. lat. 256)* de fine sexti libri Aeneidum: vis et Tarquinios(?) reges animamque superbam *(Aen. VI, 817). ad hunc Aeneidos versum scholia.*

K = *Bruxellensis lat. 10017 saec. XIII. P. Thomas catalogue des manuscrits de classiques latins de la bibliothèque Royale de Bruxelles p. 53, n. 168. folia 157^V—158^R, quorum photographa sequor, in duas columnas sunt divisa. insunt haec:*

fol. 157^V Aen. XII 947—952. Pub. Vir. Mar. Aeneid. liber XII explicit.

fol. 157^{VI} hoc scholium: colon membrum. perdito agro V. Romam venit et potencium favore agrum recepit. ad^{e}qui profectus ab *A*^{rri}*rri*o centurione qui eum tenebat pene occisus est, nisi in flumen se praecipitarit. postea ab Augusto missis tribus viris ager integer ei restitutus est. hinc est quod cum in prima eggloga legimus eum recepisse, postea querelantem invenimus.

Virgilii vita secundum Donatum.

Virgilius Maro genere Mantuanus dignitate eques Romanus — *linea 24* . . . vixit vero annos LII. *haec est vita Bernensis. codicis lectiones videas in*

apparatu p. 66 deinde sequitur Vergilii vita Donatiana, quae omissis verbis 1 P. Vergilius Maro Mantuanus — 7 Mantua non procul *incipit 8* praegnans eius mater sonniavit. *vita finit 158^{RII} in linea 26* . . . explanatio in ordinem digeretur.

fol. 158^{RII} scholia in bucolicum carmen.

fol. 158^{VI} scholia in bucolicum carmen non digna quae recenseantur.

fol. 158^{VII} scholia. deinde ab linea 12 Ovidius Naso: Virgilius magno quantum — praeposuisse tibi *(anthol. lat. 1)* tetrasticon Ovidii: qualis bucolicis — carmina nostra *(anthol. lat. 2).*

versus Supplicii Cartaginensis: iusserat haec — cremata rogo *(vita Donatiana 143—148).*

lectiones codd. C et K in apparatum non recepi sed totum contextum infra vitam Donatianam posui, ut lectores facile cognoscant ubi excerptor codd. C et K Donatum secutus sit, ubi ab illo recesserit et aliunde hauserit.

hos codices inspexi, sed ad contextum constituendum non exhibui:

Monac. lat. 516a. 1475, quem scripsit H. Schedel. v. catalogum I, 1, p. 144.

Monac. lat. 14482 saec. XV. catalogus II, 2 n. 1463. qui codices interpolatum vitae specimen praebent ut Σ et Bernensis 527 saec. XV (Hagen scholia Bern. p. 680 sqq.) et Aldina 1558 et ad eundem fontem redeunt unde Σ et Bernensis et Aldina fluxerunt.


Monac. lat. 4393 saec. XV. vita recens. catalog. III, 2 p. 186.

vita huius codicis est excerptum e vita Donatiana et Bernensi, cui addita sunt scholia futtilia de nomine Vergilii aliisque rebus.

hos codices recentiores, quibus Donati vita Vergiliana ad nos pervenit, non inspexi:

Udine, bibliotheca florio 7, saec. XV. inventari dei manoscritti 3, 1893, p. 216. Paris, bibliothèque Mazarine 24 saec. XVI fol. 1—5. catalogue des manuscrits des bibliothèques publiques. bibliothèque Mazarine III, p. 198 n. 3852. Paris bibliothèque Mazarine 1311, saec. XVI fol. 91—98. bibliothèque Mazarine II, p. 128, n. 1536. Paris bibliothèque de Sainte Geneviève 1116, saec. XVI fol. 1—5. catalogue de la bibliothèque de S. Geneviève I, p. 504. Saint-Omer 656 saec. XVI. catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements III, p. 285. Venedig S. Marco 264 saec. XVI fol. 204—211. bibliotheca manuscripta ad S. Marci Venetiarum IV, p. 197. Wolfenbüttel 24. 4 Aug. saec. XV fol. 49—56^{V}. Heinemann die Hss d. herzoglichen Bibliothek zu Wolfenbüttel II, 4, p. 335, No, 3305. Wolfenbüttel 27, 6. Poetic. saec. XV fol. 1—8^{V}. Heinemann II, 5, III p. 244, No. 4023. Wolfenbüttel, Helmst. 338 saec. XV fol. 88^{V}—96. Wien, Hofbibliothek 305 saec. XV fol. 87—102. Endlicher catalog. codd. philolog. lat. bibliothecae Vindobonensis p. 201.

codicum quorum supra mentionem fecimus, affinitas ita fere depingi potest.[1])



1) *quomodo codd. inter se cohaereant, largius exposui* 'Zur Überlieferungsgeschichte'.

codices, quibus vita Donatiana continetur, in duas familias distinguendi sunt, quorum altera comprehendit GΣ, altera MERABP. G plurimis locis optimam memoriam praebere iam H. Hagen (l. s. a. 678) *exposuit. codex Σ, qui interpolatum vitae specimen praebet, ad eundem fontem* w *redit, unde G fluxit. etiam e ceteris vitae interpolatae codicibus (codd. recentiores p. X) apparet eius auctorem, quem in stemmate littera V significavi*[1]), *vetustos libros, qui ad eundem archetypum quo G redeunt, secutum esse* (*cf. Hagen l. s. a 682). in altera codicum familia distinguendi sunt M et ERABP. M nonnullis locis veram memoriam cum GΣ habet. ceteri libri artissime cognati sunt eorumque errores ad y et u redeunt. quam prope inter se cohaereant RBP iam Hagen admonuit, sed 'Reginensem aut statim ex Bernensi fluxisse aut certe ita vitiose ex communi utriusque codicis fonte esse descriptum'* (p. 677) *non recte iudicavit. excerptum e Donati vita Vergiliana codicum C et K, quos gemellos esse ex erroribus, qui communes in eis leguntur apparet, ad z, avum codicis M, spectat.*

duae vitae Vergilii, quas post Hagenum (Serv. III, 2) in hoc libello iterum edendas curavimus, exstant in explanatione Iunii Philargyrii grammatici in bucolica, quae traduntur his codicibus:

N = Parisinus lat. 7960 (olim Colb. 899, regio 5076) saec. X.
cf. Hagen Servius III, 2, p. VII.
vita I fol. 1^R—2^R.
vita II fol. 12^R.

prima codicis pagina passim detrita est, tamen pleraque leguntur. iam decimo saeculo scriptura compluribus locis extincta erat, nam codicis corrector huius saeculi saepe litteras, quae non iam legebantur, renovasse videtur, quod in apparatu meo neglexi.

---

1) *de temporibus, quibus illae interpolationes factae sunt, coniectavit Norden Rhein. Mus. 61, 1906, 166.*

P = Parisinus lat. 11308 (olim suppl. lat. 1011) saec. IX. Servius (Hagen) III, 2, p. VII.
vita I fol. 14^R—16^R.
vita II fol. 1^R.

idem est codex, quo continetur vita Donatiana cum epistula Fl. Donati ad Munatium (v. p. VII), *sed vitam Donati et Philargyrii non eadem manus scripsit. codicis scriptura optime legitur. vita I explanationis Philargyrii in bucolica e vita Donatiana fluxit; scriptor autem illam vitam non plane excussit ad verbum, sed alia praetermisit, ut ipse confitetur dicendo* (p. 40, 23) et cetera vidisse in somnis de eodem puero, quae hic non sunt *(quae ad alia spectant prodigia apud Donatum tradita), alia variavit vel aliunde sumpsit. auctor vitae II Hieronymum secutus est, cui ex alio fonte hausta addidit haec verba* (p. 48, 4) nono Ptolomaei regis anno, cui apud Aegyptum Cleopatra in regnum successit, Augusti Caesaris XXVI regni anno, ante annos XVI Christi nativitatis. *N et P ex eodem archetypo, qui multis locis iam tum non sincerum verborum fontem praebebat, fluxerunt, quod ex mendis, quae communia leguntur in N et P, apparet (cf. Überlieferungsgeschichte). P est malum apographum multique eius errores ad scriptorem referendi sunt. codicum photographa apud me sunt.*

item ad Donati vitam Vergiliam redit vita Vergilii a Foca grammatico urbis Romae versibus edita, quae exstat solo in codice Parisino lat. 8093 saec. IX (= P) fol. 37^{R I}—37^{V II}, quem primus non sat bene excussit Riese anthol. lat. II, 671, melius in editione secunda. Heyne-Wagner Verg. I CXXXVII, qui editionem illius vitae a Burmanno factam in antholog. lat. T. I, lib. II, ep. 186 secuti sunt, et Reifferscheid Suet. rel. p. 68 sqq. Parisinum ipsum in contextu constituendo nondum adhibere potuerunt sed codicibus Scaligeri et Scriverii usi sunt. photographa mihi liberaliter mutuatus est Fr. Vollmer.

vitae, quae codicibus adhuc tractatis ad nos pervenerunt, artissime cognatae sunt cum vita quae dicitur Donatiana. longius recesserunt a Donato vita Monacensis, Noricensis vitae-

que codicis Gudiani fol. no. 70, de quibus nunc breviter disputandum est. unde illae fluxerint iam alio loco largius exposui (Zur Überlieferungsgeschichte).

S = *Sanblasianus 86 saec. IX fol.* 1^R *(Arndt-Tangl Schrifttafeln* II^4*, Tafel 42, Text p. 28; Petschenig Wiener Studien IV, 168sq.)*

m = *Monacensis lat. 15514 saec. X miscell. fol.* 89^R*—*91^V*. catalog. II, 2, 120.*

codice S continentur duae vitae Vergilianae S_1 1—47 *et* S_2 48—60. *maxima pars vitarum codd. m et* S_1 *ex eodem fonte hausta est, cui addidit* S_1 *ea, quae apud Hieronymum de Vergilio leguntur.*[1] *apud me sunt codicum photographa.*

quattuor vitae, quarum altera est vita, quae dicitur Bernensis, traduntur codice Gudiano fol. no. 70. Vollmer Sitz.-Ber. der bayer. Akademie 1908, Heft 11, p. 14, 23 adn. 1. Ribbeck, prolegomena p. 228sq. folia, quibus continentur vitae Vergilianae, breviter mihi descripsit Milchsack (Wolfenbüttel) idemque photographa procuravit.

γ = *Gudianus fol. no. 70 saec. IX.*

fol. 1^{RI}. Iniciis librorum VII periochae id est circumstantiae sunt requirende. vita poetae, titulus operis, qualitas carminis, intentio scribentis, numerus librorum, ordo librorum, explanatio. de vita poetae primum dicamus. Iste Virgilius Mantuanus fuit genere . . . *finit fol.* 1^{RII} . . . explicit proaemium *(vita Gud. I).*

fol. 1^{VI}. Incipiunt argumenta decem eglogarum. *desinit fol.* 2^{RI} . . . Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.

fol. 2^{RI}.[2] Vita Virgilii Pullii Maronis. Publius Virgilius Maro genere Mantuanus dignitate eques Romanus . . . *est vita Bernensis v. p. 66.*

---

1) *cf. Zur Überlieferungsgeschichte.*

2) *fol.* 2^R *altera manus scripsit, quae etiam addidit in margine fol.* 1^{RI} *ad lineam 15* 'convaluit' *et in fol.* 4^{VI} *scripsit scholium de* 'myrtus et lens'.

finit fol. 2^{RI} . . . probatissimorum virorum. Carmen Ovidii Nasonis: Virgilius quantus concessit Homero *(anthol. lat. 1)*.

Incipit carmen tetrasticon Ovidii Nasonis: qualis bucolicis *(anthol. lat. 2)*.

Incipit carmen tetrasticon Ovidii Nasonis: hactenus arvorum cultus *(anthol. lat. 2)*.

finit fol. 2^{RII} atque deae ramos, promorum ex ordine laetus.

fol. 2^{RII}. Incipit carmen tetrasticon Ovidii Nasonis: teque Pales et pastorum *(anthol. lat. 2, III)*.

Georgicis III liber explicit.

Incipit carmen tetrasticon Ovidii Nasonis: protinus aerii mellis *(anthol. lat. 2, IV)*.

Explicit IV georgicon.

Versiculi Asmenii super XII liber Aeneidis: primus habet Libicam *(anthol. lat. 634)*.

Incipiunt versus Ovidii Nasonis: Aeneas primo Libiae *(anthol. lat. 1)*.

finit fol. 2^{RII}. iusus narrare parabat.

fol. 3^{VI}.[1]) *15 lineae vacuae.*

Vita Virgilii poetae incipit. Virgilius genere Mantuanus.

finit fol. 4^{RI} glandibus alebantur antiqui *(vita Gud. II)*.

fol. 4^{RI}. IGILII VIRSVS VERMISSI RISA CAE.

Nocte pluit tota redeunt — habes *(anthol. lat. 256)*.

Non vos sic vobis mellificatis apes.

Non vos sic vobis vellera fertis oves *(cf. anthol. lat. 257)*.

Vergi⟨lii⟩ de dieb. feriarum.

Primus in orbe dies lucis nobis — his rite peractis *(Eug. Tolet. carm. 37)*.

Bis duo sint albi — tu tolle lapillum *carmen medi aevi; similes versus cf. Baehrens PLM V, p. 372.*

---

1) *folii* 3^{R} *descriptionem et photographum non habeo.*

Exercicium cuiusdam diurnum vatis mane exoro deum — lavo ludo quiesco. *versificator quidam Horatium (Sat. I, 6. 122sqq.) imitatus est.*

De detractoribus S. Augustinus super mensam: quisquis amat *(anthol. lat. 487[d]). septem lineae vacuae sunt.*

fol. 4[R II]. scriptura caret.

fol. 4[V I]. Virgilius poeta genere fuit Mantuanus ... pascua rura duces *(vita Gud. III) in fine manus altera addidit scholium de* 'myrtus et lens'.

fol. 4[V II]. Numerus euglogarum manifestus est — Polimniam et dicitur Gallus *(cf. vita Donatiana 302—315).*

Publii Virgilii Maronis bucolicon incipit. Publius dictus est Virgilius ...

fol. 5[R I]. incipit prima ecloga.

vita codicis prima, quae ad Eriugenae scholam redit, fragmentum Eriugenae continetur p. 62, 64—73. de fontibus huius vitae v. 'Zur Überlieferungsgeschichte'. altera vita est Bernensis; codicem in contextu illius vitae constituendae adhibui (v. p. 66). in tertia vita (= secunda vita Gudiana) scriptor Hieronymum et Servium, in quarta (= tertia Gudiana) Hieronymum secutus est.

multis codicibus ad nos pervenit vita Bernensis, quam ediderunt Hagen scholia Bernensia p. 745, Reifferscheid Suet. rel. p. 52sq., Vollmer Sitz.-Ber. 1908 p. 80sq., E. Diehl 'die vitae Vergilianae' p. 44sq. de temporibus, quibus orta sit illa vita et unde fluxerit, disputavit Vollmer l. s. a. p. 20sq., cuius editionem in contextu constituendo sequor. codicem Gud. et Bruxellensem lat. 10017 et Mus. Brit. addit. 32319 A ipse e photographis contuli. tabulam codicum, quibus continetur vita Bernensis, inserui p. 66.

nunc pauca nobis dicenda sunt de Servii et Probi vitarum codicibus. vita Vergiliana Servii commentario sublata tradita est his codicibus.

B = *Bernensi 363 saec. IX fol.* 58^R—58^V. *clarissimum codicem descripsit Hagen catalog. cod. Bern. p. 347 et in praefatione editionis Sijthoffianae, Thilo Servius I, praef. p. LXXVII. sequor codicis imaginem phototypice editam a Sijthoff.*

L = *cod. Lipsiensi bibl. sen. rep. I n* 36^b *saec. XI fol.* 73^R. *scriptura codicis passim detrita est, tamen pleraque leguntur. photographa mihi procuravit E. Kroker Lipsiensis (Servius I, praef. p. LXXIX).*

G = *Bernensi 167 saec. IX—X fol.* 5^R—5^V. *Hagen catalog. codd. Bern. p. 234 photographa habeo.*

M = *Monacensi lat. 6394 (olim Frisingensis 194) saec. XI fol.* 40^V. *catalog. codd. Mon. III, p. 103; Servius I, praef. LXXXIII.*

E = *Monacensi lat. 18059 (olim Tegernseensis 59) saec. XII fol.* 37^{VI}—37^{VII}. *catalog. IV, 2, 3 p. 130 Servius I, praef. p. LXXXIV. codd. Monac. ipse excussi et photographa contuli.*

C = *Fuldensi nunc Casselano ms. poet. fol. 6. saec. IX—X fol.* 1^R *et fol.* 61^R. *Servius I praef. p. XLVIII; Dübner Zeitschr. f. Altertumswissenschaft I, p. 1222 sqq., Thilo, Rh. Mus. XIV, 1859, 535 et Rh. Mus. XV, 1860, 119. ipse excussi et photographa contuli.*

H = *Hamburgensi bibl. publ. Scrin. 52 saec. XI fol.* 54^R—54^V. *Servius I, praef. LXXXI codicem ad bibliothecam regiam Monacensem missum excussi et photographa contuli.*

D = *Dresdensi 136 saec. XV. codicem non adhibui nisi in explenda lacuna, quam Hagen in fine vitae statuit p. 72, 64—69. cf. Servius I p. XCI.*

Parisinum 7959 saec. IX in contextu constituendo neglexi. cf. Servius I p. LXXXVIII. stemma codicum depingere nondum audeo, quod vitam Vergilii solam e codicibus contuli; tamen admonere liceat M et E ex eodem fonte derivatos videri.

vita Valeri Probi tradita est his codicibus.

V = *Vaticano 2930 saec. XV fol.* 68^R—68^V.

P = *Parisino lat. 8209 saec. XV fol. 1ᴿ—1ⱽ.*
M = *Monacensi lat. 755 a. 1496—97 fol. 4ᴿ catalog. III, 1 p. 189 et Servius III, 2 p. VIII. codicum photographa sequor.*
E = *Egenatii ed. princ. a. 1507 Venetiis impressa. haec editio mihi praesto non erat. Hagenum secutus sum.*


turum haec vita sit Valerii Probi necne, hoc loco disserendum non est; de hac re nuperrime disputavit J. Aistermann de M. Valerio Probo Berytio Bonn 1910 p. 70 sqq.

VITA VERGILII DONATIANA

CODICES.

Ω = archetypus omnium codicum v. praef. p. XI
G = Sangallensis 862 saec. X v. praef. p. VI
Σ = Bodleianus (mss. can. lat. 61) saec. XV v. praef. p. VIII
M = Monacensis latinus 305 saec. XI—XII v. praef. p. VIII
E = Parisinus lat. 7930 saec. XI v. praef. p. VII
R = Reginensis 1495 saec. X—XI v. praef. p. VIII
A = Parisinus lat. 16236 saec. X v. praef. p. VII
B = Bernensis saec. X v. praef. p. VI
P = Parisinus lat. 11308 saec. IX v. praef. p. VII
C = London Brit. mus. add. 32. 319 A saec. XII infra contextum addidi v. praef. p. VIII
K = Bruxellensis lat. 10017 saec. XIII infra contextum addidi v. praef. p. IX

stemma codicum:



VERGILII VITA DONATIANA.

P. Vergilius Maro Mantuanus parentibus modicis fuit ac praecipue patre, quem quidam opificem figulum, plures Magi cuiusdam viatoris initio mercennarium, mox ob industriam generum tradiderunt egregiaeque substantiae silvis coemendis et apibus curandis auxisse reculam. natus est Cn. Pompeio Magno M. Licinio Crasso primum coss. iduum Octobrium die in pago, qui Andes dicitur et abest a Mantua non procul. praegnans eum mater somniavit enixam se laureum ramum, quem contactu terrae coaluisse et excrevisse ilico in speciem maturae arboris refertaeque variis pomis et floribus, ac se-

---

Excerptum e vita Vergilii Donatiana, quod exstat in codd. C et K. (v. p. VIIIsqq.).

pregnans eius mater sonniavit se laureum ramum enixam et eum tacta terra coaluisse et excrevisse ilico in spem (*K*, in spẽm *C*) maturae arboris refertae variis pomis et floribus;

---

titulus: VIRGILII VITA SEKUNDUM DONATUM *CK*, VIRGILII MARONIS PUBLII DESCRIPTIO VITAE *M*, INCIPIT VITA VIRGILII DISSERTISSIMI OMNIUM POETARUM *A*, vıta P. Vırgılıı Maronıs poetae Maxımı felıcıter ıncıpıt *Σ*, *nulla adest inscriptio in GERPB.*

5 et *post* Magno *om. Ω (i. G), addiderunt ΣMERABP*
8 eum *GM*, eo *vulgata et codd. recentiores*, co *R*[1], *corr. in* eũ *ut vid.*, *deinde* eius *s. s. R*[2], *in marg. additum* eõ praegnans mater vulgatum *R*[3], cum *ABP*, *om. ΣE* | mater *GRABP*, autem mater *E*, mater eius *M*, mater maia quom *Σ* | somniavit *GER ABP*, somnavit *M*, somniasset *Σ* 9 contactu terrae *Ω* (*i. G*), contactum terra *E*, contacta terra *AB*[2]*P*, contracta terra *MRB*[1], compactum terrae *Σ* | in speciem *Ω* (*i. GΣ et recentiores codd.*), speciem (*om.* in) *MERABP*

quenti luce cum marito rus propinquum petens ex itinere divertit atque in subiecta fossa partu levata est. ferunt infantem ut sit editus neque vagisse et adeo miti vultu fuisse, ut haud dubiam spem prosperioris geniturae iam tum daret. accessit aliud praesagium, si quidem virga populea more regionis in puerperiis eodem statim loco depacta ita brevi evaluit, ut multo ante satas populos adaequavisset, quae 'arbor Vergilii' ex eo dicta atque etiam consecrata est summa gravidarum ac fetarum religione et suscipientium ibi et solventium vota. initia aetatis Cremonae egit usque ad virilem togam, quam XV anno natali suo accepit isdem illis consulibus iterum [duobus], quibus erat natus, evenitque ut eo ipso die Lucretius poeta decederet. sed Vergilius a Cremona Mediolanum et inde paulo post transiit in urbem. corpore et statura fuit grandi, aquilo colore, facie rusticana,

---

11 sequenti die rus petens cum marito in foveam divertit ibique peperit (floribus ∴ *in marg:* ∴ cuius sompnii misterum Lucretius frater suus poeta dixit ei: brevi tempore filium paries artificem in poematibus et eum poetis commendare debes K^2). infans natus dicitur nec vagisse et valde miti vultu fuisse.

20 inicia etatis Cremone egit usque ad virilem togam, quam XVII anno accepit.

24 inde Mediolanum post Romam transiit.

25 statura grandis cibi et vini minime libidinis in

---

12 divertit *Ω* (*i. GMEΣ*), devertit *RABP* | levata *Ω* (*i. GMΣ*P^1), leviata *ERA*P^2 15 accessit *vel* accessit et *Gronov.*, accessit etiam *E*, et accessit *GΣMERABP* 16 ita brevi evaluit *Ω* (*i. G* (coaluit) *Σ*P^1), ita brevi evaluit tempore *ERAB*P^2, ita brevi tempore evaluit *M*, convaluit *Gronov.* 21 quinto decimo *Reiff.* septimo decimo *Ω* (*i. ΣMERABP*), septimo *G* | anno (*om. A*) natali suo *Ω* (*i. RA*B^1*P*) anno natalis sui *M et in marg.* B^2, etatis suae anno *E*, anno aetatis suae *G* 22 duobus *uncis inclusi*, isdem illis consulibus iterum (*om. M*) duobus (*om. GΣ*) *GΣMRABP*, iterum isdem illis consulibus *E* 23 eo *Ω* (*i. MERABP*), eodem *GΣ* 25 grandi *Ω* (*i. GΣM*), grandis *ERABP* | aquilo *G*, aquili *BP*, aquilino *ΣEMRA*

valetudine varia; nam plerumque a stomacho et a faucibus ac dolore capitis laborabat, sanguinem etiam saepe reiecit, cibi vinique minimi. libidinis in pueros pronioris, quorum maxime dilexit Cebetem et Alexandrum, quem secunda bucolicorum ecloga Alexim appellat, donatum sibi ab Asinio Pollione, utrumque non ineruditum, Cebetem vero et poetam. vulgatum est consuesse eum et cum Plotia Hieria. sed Asconius Pedianus adfirmat, ipsam postea maiorem natu narrare solitam, invitatum quidem a Vario ad communionem sui, verum pertinacissime recusasse. cetera sane vitae et ore et animo tam probum constat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellatus sit, ac si quando Romae, quo rarissime commeabat, viseretur in publico, sectantis demonstrantisque se suffugere⟨t⟩ in proximum tectum. bona autem cuiusdam exulantis offerente Augusto non sustinuit accipere. possedit prope centiens sestertium ex liberalitatibus amicorum habuitque domum Romae Esquiliis iuxta hortos Maecenatianos, quamquam secessu Campaniae Siciliaeque plurimum uteretur. parentes iam grandis amisit, ex quibus patrem captum oculis et duos fratres germanos, Silonem inpuberem, Flaccum iam adultum, cuius exitum sub nomine Daphnidis de-

---

pueros pronior, quorum maxime dilexit Cebetem et Alexan- 26
drum, quem in secunda egloga Alexim vocat donatum sibi ab Asinio Pollione (*C* Pollinione *K*)

parentes iam grandis amisit patrem captum oculis et 44
duos fratres Silonem impuberem et Flaccum iam adultum

---

27 saepe *MERABP*, saepius *GΣ*   28 minimi *Ω* (*i. GΣ*), minime *ERABP*, modicus *M*   32 consuesse *GR*, consuevisse *EΣ*, consuisse *ABP* | Hieria *Ω* (*i. GΣ*), ieria B^2P, geria B^1A (?), eregia *E*, egeria *R*, Aleria *Daniel*, Galeria *Ribbeck*   33 maiorem *Ω* (*i. RABP*), maiorum *G*, maioribus *ΣE*   34 vario *Ω* (*i.* GB^1), vareo P^1, varo $\Sigma ERAB^2P^2$ (?)   35 cetera *Ω* (*i. GΣRBP*), ceterum *EA* | vitae *Ω* (*i. ERABP*), vita *GΣ*   39 suffugeret *Reifferscheid*, suffugere *Ω* (*i. ERABP*), subterfugere *GΣ*, subterfugeret *Hagen*   42 in *post* Romae *om. Ω* (*i. GMERBP*) *addiderunt ΣA* | maecenatianos *Ω* (*i. GΣ*), mecenatis *MERABP*

flet [*ecl.* V, 20] inter cetera studia medicinae quoque ac maxime mathematicae operam dedit. egit et causam apud iudices unam omnino nec amplius quam semel. nam et in sermone tardissimum ac paene indocto similem fuisse Melissus tradidit. poeticam puer adhuc auspicatus in Ballistam ludi magistrum ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus distichon fecit:

'monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus;
nocte die tutum carpe viator iter.'

deinde catalecton et priapea et epigrammata et diras, item cirim et culicem, cum esset annorum XXVI. cuius materia talis est: pastor fatigatus aestu cum sub arbore obdormisset et serpens ad eum prorepéret e palude, culex provolavit atque inter duo tempora aculeum fixit pastori. at ille continuo culicem contrivit et serpentem interemit ac sepulcrum

---

46 (*K*, *primum* adaltum *deinde corr. in* adultum *C*), cuius exicium sub nomine daphnidis deflet.

51 puer adhuc in Balistam ludi magistrum ob infamiam lat^{o}ciniorum (*C*, lat^{i}ciniorum *K*) lapidibus coopertum distigon fecit (*C*, distichon fecit *om. K*)

'monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus;
nocte die tutum carpe viator iter.'

57 fecit et culicem cum esset annorum XVI cuius materia est: pastor cum fatigatus aestu obdormisset et serpens ad eum reperet (*C*, repperet *K*), culex provolavit et aculeo tempora fixit; at ille culicem atritum (?*CK male leguntur*) et serpentem interemit et sepulchrum culicis statuit et disti-

---

49 in *Ω* (*i. MERABP*), *om. GΣ* 56 et diras item *Ω* (*i. ERABP*), diras et item *G*, *om. M* 57 cirim *Ω* (*i. G*), cirimus *ERABP om. M* | cirim ⟨et copam⟩ *Bährens* | XXVI *Scaliger*, XVI *ERABP*, XVII *M*, XV *GΣ* 58 obdormisset *Ω* (*i. GΣ*), condormisset *ERABP*, condormiret *M* 59 eum *MERBP*, illum *GΣ*, *non legi potest A* | prorepéret *Ω* (*i. ΣRB*^{2}), proriperet *MEAB*^{1}*P*, praereperet *G* | provolavit *Ω* (*i. MERABP*), praevolavit *GΣ*

culici statuit et distichon fecit [412 *sq.*]:

'parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
funeris officium vitae pro munere reddit.'

scripsit etiam de qua ambigitur Aetnam. mox cum res Romanas inchoasset, offensus materia ad bucolica transiit, maxime ut Asinium Pollionem Alfenumque Varum et Cornelium Gallum celebraret, quia in distributione agrorum, qui post Philippensem victoriam veteranis triumvirorum iussu trans Padum dividebantur indemnem se praestitissent. deinde ⟨edidit⟩ georgica in honore Maecenatis, qui sibi mediocriter adhuc noto opem tulisset adversus veterani cuiusdam violentiam, a quo in altercatione litis agrariae paulum afuit quin occideretur. novissime Aeneidem inchoavit, argumentum varium ac multiplex et quasi amborum Homeri carmi-

---

gon fecit (*C*, et sepulcrum — fecit *om. K*).

'parve culex, pecudum custos, tibi tale merenti
funeris (*C*, parve-funeris *om. K*) officium vitae pro munere reddit.'

bucolica autem scripsit 66
maxime ut Asinium Pollionem Alphenum Varum et Cornelium Gallum celebraret, quia in distributione agrorum, qui post Philipensem victoriam veteranis triumvirorum iussu dividebantur indenne se praestiterunt. de in (*C sic!* dei *K*) georgicam in honore Mecenatis, qui sibi mediocriter adhuc noto opem tulit adversus veterani cuiusdam violentiam, a quo in altercatione litis agrarie paulum abfuit, quin occidetur.

novissime Aeneidem (*C*, eneide *K*) nominibus ac 74
rebus Grecis et Latinis communem, in qua Romane simul urbis (*C* ᵛorbis *K*) et Augusti origo contineretur.

---

62 culici *Ω* (*i. GΣ*), culicis *MERABP* 65 etiam dequa ambigitur *Ω* (*i. ΣMRAP*), etiam aetna de qua ambigitur *E*, etiam ·/. aetham ·/. de qua ambigitur *B*, *om. G* 67 alphenumque *G*, alphenum *ΣMERABP* 72 adhuc *Ω* (*i. GRABP*), *om. MEΣ* 73 agrariae *Ω* (*i. GΣ*), *om. MERABP*

num instar, praeterea nominibus ac rebus Graecis Latinisque commune et in quo, quod maxime studebat, Romanae simul urbis et Augusti origo contineretur. cum georgica scriberet, traditur cotidie meditatos mane plurimos versus dictare solitus ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere, non absurde carmen se more ursae parere dicens et lambendo demum effingere [*cf. Gell.* 17, 10, 2 *sq.*]. Aeneida prosa prius oratione formatam digestamque in XII libros particulatim componere instituit, prout liberet quidque, et nihil in ordinem arripiens. ac ne quid impetum moraretur, quaedam inperfecta transmisit, alia levissimis versibus veluti fulsit, quos per iocum pro tibicinibus interponi aiebat ad sustinendum opus, donec solidae columnae advenirent. bucolica triennio, georgica VII, Aeneida XI perfecit annis. bucolica eo successu edidit, ut in scaena quoque per cantores crebro pronuntiarentur. georgica reverso post Actiacam victoriam Augusto atque Atellae reficiendarum faucium causa commoranti, per continuum quadriduum legit, suscipiente Maecenate legendi vicem, quotiens interpellaretur ipse vocis offensione. pronuntiabat autem cum suavitate, cum lenociniis miris. ac Seneca tradidit Iulium Montanum poetam solitum dicere, involaturum se Vergilio quaedam, si et

---

78 georgicam scribens mane plurimos versus dictabat (*K*, distabat *C*), sed tota die retractando ad paucissimos redigebat more ursae se parere versus dicens et lambendo effingere.

---

81 se more ursae *MERABP*, se ursae more *GΣ* 85 ac *Ω* (*i. G*), ut *ERABP*, *om. Σ* 86 versibus *Ω* (*i. GMΣ*), verbis *ERABP* 87 quos *Ω* (*i. GΣM*), quae *ERAB*^{1}*P*, qui *B*^{2} | tibicinibus *Ω* (*i. GMP*), tibialibus *ERAB*^{2}, tibiantibus *B*^{1}, tigillis *Σ* 88 aiebat *Ω* (*i. RABP*), agebat *ME*, a se dicebat *GΣ* 89 triennio *Ω* (*i. MERABP*), biennio (*s. s.* tri-) *GΣ* 91 crebro *Ω* (*i. MERABP*), crebra *GΣ* 92 faucium *Ω* (*i. MERABP*), virium *GΣ* 95 cum *ante* lenociniis *Ω* (*i. MER ABP*), *om. GΣ*, et *vulgata*, tum *Reifferscheid* (lenociniis *v. Gloss V, 603,5*) 96 ac *Hagen*, ut *Ω* (*i. GMERABP*) et *Reifferscheid*, *om. Σ*

vocem posset et os et hypocrisin: eosdem enim versus ipso pronuntiante bene sonare, sine illo inanes esse mutosque. Aeneidos vixdum coeptae tanta extitit fama, ut Sextus Propertius non dubitaverit sic praedicare [II, 34, 65]:

'cedite Romani scriptores, cedite Grai:
nescio quid maius nascitur Iliade' —

Augustus vero — nam forte expeditione Cantabrica aberat — supplicibus atque etiam minacibus per iocum litteris efflagitaret, 'ut sibi de Aeneide', ut ipsius verba sunt, 'vel prima carminis ὑπογραφή vel quodlibet κῶλον mitteretur.' cui tamen multo post perfectaque demum materia tres omnino libros recitavit, secundum quartum sextum. sed hunc notabili Octaviae adfectione, quae cum recitationi interesset, ad illos de filio suo versus [*Aen.* VI, 884]: 'tu Marcellus eris', defecisse fertur atque aegre focilata est. recitavit et pluribus, sed neque frequenter et ea fere de quibus ambigebat, quo magis iudicium hominum experiretur. Erotem librarium et libertum eius exactae iam senectutis tradunt referre solitum, quondam eum in recitando duos dimidiatos versus complesse ex tempore. nam cum hactenus haberet [*Aen.* VI, 164]: 'Misenum Aeoliden', adiecisse: 'quo non praestantior alter', item huic [*Aen.* VI, 165]: 'aere ciere viros', simili calore iactatum subiunxisse: 'martemque accendere cantu', statimque sibi imperasse ut utrumque volumini adscriberet.

anno aetatis quinquagesimo secundo impositurus Aeneidi summam manum statuit in Graeciam et in Asiam secedere

---

anno etatis LII inpositurus Aeneidi summam manum statuit in Graeciam et in Asiam secedere triennioque con-

---

104 aberat *Ω* (*i. EAB^1*), aderat *GMRB^2P*, abesset *Σ*
107 ὑπογραφή *Hagen*, hypografae *G*, hypografa *ΣERABP*, *om. M* 109 quartum *Ω* (*i. MERABP*), quartum et *GΣ*
112 focilata *Ω* (*i. GRBP*), focillata *Σ*, refocillata *A*, refocilatur *E* | est *Ω* (*i. RABP*), *om. GΣE* 113 ea *Ω* (*i. MERABP*), *om. GΣ*

triennioque continuo nihil amplius quam emendare ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret. sed cum ingressus iter Athenis occurisset Augusto ab oriente Romam revertenti destinaretque non absistere atque etiam una redire, dum Megara vicinum oppidum ferventissimo sole cognoscit, languorem nactus est eumque non intermissa navigatione auxit ita ut gravior aliquanto Brundisium appelleret, ubi diebus paucis obiit XI Kal. Octobr. Cn. Sentio Qu. Lucretio coss. ossa eius Neapolim translata sunt tumuloque condita, qui est via Puteolana intra lapidem secundum, in quo distichon fecit tale:

'Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope; cecini pascua rura duces.'

heredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum fratrem alio patre, ex quarta Augustum, ex duodecima Maecenatem, ex reliqua L. Varium et Plotium Tuccam, qui eius Aeneida post obitum iussu Caesaris emendaverunt. de qua re Sulpicii Carthaginiensis exstant huiusmodi versus:

---

125 tinuo nihil aliud quam (*K*, quod? *C*) emendare ut post philosophiae vacaret.

126 sed cum ingressus iter Athenis occurisset Augusto ab oriente Romam revertenti destinaretque non absistere atque etiam una reddire (*CK*) ferventissimo sole langorem incidit eumque non intermissa navigatione hausit graviorque Brundusium (*C*, Brundusium † *K*) appulit ubi diebus paucis obiit

133 ossa eius Neapolim translata sunt tumuloque condita, qui est via Puteolana intra secundum lapidem in quo distichon est, quod ipse fecerat:

'Mantua me genuit. Calabri rapuere, tenet nunc
Partenope; cecini pascua rura duces.'

---

131 gravior *Ω* (*i. GERABP*), aegrior *Hagen* 139 alio patre *Ω* (*i. MRABP*), alia parte *E*, ex alio parte *GΣ* 140 Aeneida *Hagen*, aeneidam *ERABP*, aeneidem *GΣ*, eneiden *M*

'iusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Vergilius, Phrygium quae cecinere ducem.
Tucca vetat Variusque; simul tu, maxime Caesar,
non sinis et Latiae consulis historiae.
infelix gemino cecidit prope Pergamon igni,
et paene est alio Troia cremata rogo.'

egerat cum Vario, priusquam Italia decederet, ut si quid sibi accidisset, Aeneida combureret; at is ita facturum se pernegarat. igitur in extrema valetudine assidue scrinia desideravit, crematurus ipse; verum nemine offerente nihil quidem nominatim de ea cavit. ceterum eidem Vario ac simul Tuccae scripta sua sub ea conditione legavit, ne quid ederent, quod non a se editum esset. edidit autem auctore Augusto Varius, sed summatim emendata, ut qui versus etiam imperfectos, si qui erant, reliquerit. quos multi mox supplere conati non perinde valuerunt ob difficultatem, quod omnia fere apud eum hemistichia absoluto perfectoque sunt sensu, praeter illud [*Aen.* III, 340]: 'quem tibi iam Troia'. Nisus grammaticus audisse se a senioribus aiebat, Varium duorum librorum ordinem commutasse, et qui nunc secundus sit in tertium locum transtulisse, etiam primi libri correxisse principium, his versibus demptis:

---

egerat cum Varo priusquam Italia decederet, ut si quid sibi 149
accidisset (*K*, accedisse *C*) Aeneida combureret.
cui et Tuccae simul 153
